



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Barsum Alexandriæ Aegypti Archidiacono sanitatem reddit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Barsum Alexandria Aegypti Archidiacono sanitatem reddit.

BArsum Archidiaconus Alexandrinus Romam venerat anno huius sæculi nonagesimo quarto, ut Ecclesiam Alexandrinam ab hæresibus se purgari cupientem Romanam Ecclesiam conciliaret: cumque res ageretur, Octobri mense mortiferum in morbum incidit: is erat morbus, ut æger sanguinem spueret, qui medicorum iudicio ex ruptis venis capillaribus, pulmone, vel hepate iunctis exibat: Accedebant ad hæc febris, tussis frequens, & spirandi difficultas, quæ ægrotum mirum in modum vexabant: frequens tussis sanguinem extrudebat: nocturna præterea, diurna que vigilia premebatur: somnus, quod pessimum est, neque noctu, neque interdiu accedebat.

Cordelio interim de eius salute dubitante, Hieronymus Vecchietus, qui ægrotanti assidebat, ad

Id' præter Archidiaconum duo testes oculati publico testimonio confirmaverunt.

Philippum confugit, & quem paratum iam ad sacrificium, & calicem tenentem in manibus inuenit, rogat, Archidiaconi Alexandrini grauissimè laborantis meminisse velit: Pollicetur ille se oraturū pro eo. O rem dictū mirabilem! vbi primū Deo sacrificium offerre cœpit, extemplò æger (vt postea temporibus inter se collatis intellectum est) dulci corripitur somno, vt simul B. Pater celebraret, & Archidiaconus post longam vigiliam dormiret, dormiuitque ad horas aliquot: somno experrectus melius habere sensit. Philippus interim absoluto sacrificio, Barsum dixit è præsentī morbo surget: tum accersito Vecchietto, Archidiaconum, inquit, in ædes Federici Borromæi Cardinalis transferri cura quamprimū, ibi tantisper is maneat, dum pristinam recuperet valetudinem. Hæc vbi ille audit, quid consilij caperet, non satis sciebat, nam neq; egrum grauissimo cōfectum

fectum morbo commouere, quòd id periculosum putaret, audebat, neque Philippi mandata exequi: nisi impetrata prius à superioribus licentia: Consilij itaq; inops excusare se cœpit; sed Beato Patri acrius instanti, vrgentique obedire quasi cælesti voce iussus cogitur, illiusq; fretus precibus, auxilioq; ægrum rheda deportandum curat.

Hic non prætermittam ne illud quidẽ. Egerat Philippus cum Vecchietto, vt nõ prius ad ædes Federici Cardinalis Borromæi æger, quàm ad se adduceretur; id enim faciebat ipse causa sanandi illius: nec irritus, hominem enim arctè complexus ad salutem reducit, totus quippe tũ æger repentino sudore madefactus viribus restitui se sensit, sputo sanguinis liberatur, quòd si quid eius post excreuit, id fuit, quod iam antea in pectus descenderat, quod mittere opus erat. Tum Philippo iubente ad ædes Cardinalis Borro-

mæi adducitur; in discessu rogat il-
le Beatum Patrem, precibus, in qui-
bus spem omnem collocauerat, a-
pud Deum pro sui salute insistat.
Annuit Philippus, omnia læta spe-
rare, certamque expectare sanita-
tem iubet. Non fallitur: æger pau-
cis post elapsis diebus è morbo pla-
nè conualuit.

Iesu Christi anno Clem. VIII. Pap. anno Ætatis anno
1595 4 80

*Hieronymi Cordelij peritissimi medici
obitum prædicio.*

*Id à iura-
tis testibus
acceptum.*

ANno Christi millesimo quin-
gentesimo nonagesimo quin-
to, Februario mense, cum vesperi
instituto meo apud Philippum ef-
sem, nuncius venit, qui diceret vnâ
ex ancillis coniugis Cordelij me ad
ianuâ vocare, vt eius nomine salu-
tet, & colloquatur: me interim ad
sem inam exeunte in has Philippus
voces cõfestim, vt ab his, qui inter-

erant,